

## Quid de Velleii Paterculi fide in iis locis, qui ad Tiberii mores spectant, statuendum sit.

Mirum est, quod nullus ex veteribus scriptoribus, excepto Prisciano (VI. 11. pag. 259 Kr.) et scholiasta Lucani (IX. 178. pag. 695 Web.) neque Marci<sup>1)</sup> Velleii Paterculi, neque operis eius, quod inscribitur „Historiae Romanae ad M. Vinicium consulem libri duo“, mentionem facit. Cuius rei causam quaerentes vix aliam reperiemus, quam Velleium levem auctorem nec satis fidum esse habitum, nisi forte illud casu et fortuito factum esse dicemus. Adolphus quidem Stahr<sup>2)</sup> in libro suo, qui est de Tiberio, dicit, non fieri Velleii mentionem apud veteres scriptores, propterea quod personam gravem Tiberio imperatore non sustinuerit in civitate neque, quid in ea gereretur, curaverit, sed hanc sententiam Stahri minime probandam esse equidem censeo. Praetura enim Velleium obtinuisse anno post Chr. nat. quinto decimo ex ipsius scriptoris verbis patet<sup>3)</sup>, et, licet verisimillimum sit, eum post praeturae gestam aliis honoribus non esse functum et in honesto otio ac studio litterarum deditum Romae vixisse, tamen nemo iure contendere poterit, hanc esse causam, cur neque a Tacito neque a Suetonio neque ab alio veterum scriptorum commemoretur, praesertim quum satis constet, Romanos auctores suos non eo, quem in civitate obtinerent, loco metiri solitos, sed virtutibus ingeniique praestantia. Quum vero viri docti omnes inde ab anno MDXX, quo editio princeps libri Velleii, codice Murbacensi quinque annis ante invento, in lucem prolata est, uno ore consentiant, Velleium adulatorem existimandum esse atque hominem blandum neque, cui fides habeatur, dignum<sup>4)</sup>, primus Carolus Morgensternius anno MDCCCLXXXVIII in „commentatione critica de fide historica Velleii Paterculi, imprimis de adulatione ei obiecta“ defensor Velleii existit et demonstrandi fecit periculum, perperam adulationi tribui, quae Velleius de Tiberio, Seiano aliisque illius aetatis hominibus narraverit. Cuius sententiam amplexi sunt Krausius,<sup>5)</sup> Cludius,<sup>6)</sup> Hermannus Sauppius<sup>7)</sup>, Kritzius<sup>8)</sup>, qui omnes in eo elaboraverunt, ut adu-

1) In Marci praenomine omnes Prisciani codices consentire et praenomen Gaii non minus reiciendum esse, quam Publii, Kritzius exposuit in Prolegom. ad Vell. Patercul. cap. I. pag. II.

2) *Ab. Stahr, Tiberius*. Berol. 1863. pag. 115.

3) II. 124. Quo tempore mihi fratris meo, candidatis Caesaris, proxime a nobilissimis ac sacerdotalibus viris destinari praetoribus contigit, consecutis, ut neque post nos quemquam divus Augustus, neque ante nos Caesar commendaret Tiberius.

4) cf. G. J. Vossium de Hist. Lat. I. 24. Lipsium in Praef. pag. VII. sq. ed. Ruhnken. Frotscher., Heinsium ibid. pag. XVIII. sq., Burmannum ibid. pag. XXXI., Ernestium in opuscul. philolog. crit. pag. 91 et in Praef. ad Sueton. pag. VI., Perizonium in Animadvers. histor. pag. 218 ed. Harl., Christium in Noct. academ. pag. 30., Bernhardium in Hist. litt. Roman. II. edit. pag. 546 sq.

5) Prolegom. ad. Vell. pag. 37–47.

6) Praef. pag. XVI.

7) Commentatio de Velleio Paterculo in museo Turic. a. 1837. vol. I. 2. pag. 133–180.

8) Prolegom. ad. Vell. cap. II. pag. XXIV sq.

lacionis crimen, cuius Velleius vulgo accusaretur, diluerent et, ut melius de eo sentiretur, quantum possent, efficerent. Quo factum est, ut existerent, qui Tiberium imperatorem tuerentur ac defenderent, Buchholzius<sup>1)</sup>, Kruegerus<sup>2)</sup>, Sieversius<sup>3)</sup>, Ihnius<sup>4)</sup>, Merivalius<sup>5)</sup>, quibus viris Adolphus Stahrius assentitur. Cuius librum, quem supra nominavi, multis nominibus ingeniose quidem et venuste scriptum esse, nemo est, qui neget, sed auctorem in libro conscribendo, omnibus rebus posthabitis, eo tantum consilio ductum esse, ut Tiberium tot tantisque criminibus, quibus a Tacito aliisque scriptoribus fide dignissimis esset oneratus, liberaret obiectaque dilueret, tam dilucidum atque apertum est, ut hoc loco planius exponatur necesse non sit. Quum vero Stahrius multis locis sola Velleii auctoritate nitatur, quin etiam tantopere ei confidat, ut non dubitet, cautum providumque eum nominare rerum scriptorem<sup>6)</sup>, ratus maius in dies fieri periculum, ne summa inferatur iniuria Tacito, Suetonio, Dioni Cassio, rerum illis scriptoribus prudentissimis atque gravissimis, exponere hisce pagellis mihi proposui, quid de fide Velleii Paterculi in iis locis, qui ad mores Tiberii iudicandos spectant, statuendum sit.

Ac primum quidem negari non potest, imaginem historiae Romanae non sine arte atque ingenio a Velleio esse adumbratam eumque iudicium prudens atque intelligens tulisse de insignibus illis viris, quos libera res publica tulerat, de L. Aemilio Paulo<sup>7)</sup>, de Metello<sup>8)</sup>, de P. Scipione Aemiliano<sup>9)</sup>, de Sulla<sup>10)</sup>, de Mario<sup>11)</sup>, de Cn. Pompeio<sup>12)</sup>, de Lucullo<sup>13)</sup>, de Cicerone<sup>14)</sup>, de M. Catone<sup>15)</sup>, de aliis. Sin vero ea legeris, quae de C. Julio Caesare<sup>16)</sup>, de Octaviano Augusto<sup>17)</sup> memoriae prodidit, facile intelliges, auctoris admirationem gradatim crescere et magis magisque libertatem illam apertam desiderari, propter quam Sallustius, Tacitus merito tantis efferuntur laudibus. Summa autem cum offensione ea legimus, quae de Tiberio narrata sunt a Velleio, qui in huius certe imperatoris imagine adumbranda supra animum suae aetatis humilem atque in adulationem pronum surgere non posset. Sive Velleius librum suum scripsit, ut M. Vinicio consulatum inituro gratularetur, sive, ut multi viri docti statuunt, a Tiberio iussus, ita tamen, ut liber gratulatorius esse videretur, id satis constat, a cap. 94 posterioris libri usque ad finem Ti-

1) Friedrich Buchholz, *Philosoph. Untersuchungen über die Römer.* Berol. 1819. pars II, pag. 49—74.

2) K. W. Krueger *Zeitschrift für Alterthumswissenschaft.* 1836. Nr. 38.

3) Dr. G. R. Sievers *Tacitus und Tiberius.* Program. Joann. Hamburg. 1850. 1851.

4) Dr. William Ihne *A plea for the Emperor Tiberius* in *Proceedings of the literary and philosophical society of Liverpool.* 1856. 1857.

5) Charles Merivale *A history of the Romans under the Empire,* tom IV. pag. 154 sq. II. edit. Londini 1862

6) *Tiberius* pag. 10.

7) I. 9.

8) I. 11.

9) I. 12.

10) II. 17.

11) II. 19. 20.

12) II. 29. 30. 31.

13) II. 33.

14) II. 34.

15) II. 35.

16) II. 41—56.

17) II. 92—123.

berium tot tantisque ornari laudibus, ut illa capita optimo iure ‚panegyricus Tiberii‘ a Paschio<sup>1)</sup> nominentur.

Jam vero omissis iis rebus, quae ad virtutem imperatoriam pertinent, qua Tiberium re vera praeditum fuisse bella gravissima in Germania, Pannonia, Dalmatia feliciter gesta testantur, primum considerabimus libri

II. cap. 99. ‚Brevi interiecto spatio Tiberius Nero, duobus consulatibus totidemque triumphis actis, tribuniciae potestatis consortione aequatus Augusto, civium post unum, et hoc, quia volebat, eminentissimus, ducum maximus, fama fortunaque celeberrimus et vere alterum rei publicae lumen et caput, mira quadam et incredibili atque inenarrabili pietate, cuius caussae mox detectae sunt, cum C. Caesar sumpsisset iam virilem togam, Lucius item maturus esset viribus, ne fulgor suus orientium iuvenum obstaret initiis, dissimulata caussa consilii sui, commeatum ab socero atque eodem vitrico acquiescendi a continuatione laborum petiit. Quis fuerit eo tempore civitatis habitus, qui singulorum animi, quae digredientium a tanto viro omnium lacrimae, quam paene ei patria manum iniecerit, iusto <sup>2)</sup> servemus operi.‘

Ut taceam de laudibus magnificis, quibus Tiberium hoc capite Velleius prosequitur, et quas nimias immoderatasque esse nemo non intelliget, de caussis tantum disseram, quibus commotus Rhodum ille secesserit. Veram enim a Velleio allatam non esse, ex Suetonio, quem ipse Stahrus Tiberii vitam sine ira atque studio<sup>3)</sup> conscripsisse diligentissimumque<sup>4)</sup> esse omnium dicit, qui de illius vita et moribus exposuerint, demonstrari potest. Is enim narrat<sup>5)</sup>, Tiberium honorum satietatem ac requiem laborum praetendentem commeatum petiisse, per quattuor dies, quum Augustus, quominus ei obsequeretur, recusasset, cibo abstinuisse, facta tandem abeundi potestate ne verbo quidem cuiquam prosequentium reddito, Ostiam descendisse. Quodsi nihil nisi otii ac requietis desiderium Tiberium cepisset, ut mori quam Romam relinquendi consilium deponere mallet, quomodo quinque annis post, exacto tribuniciae potestatis tempore, fieri poterat, ut summo urbis desiderio flagraret? Ipse vero, quum intellexisset, illam caussam praetendendo ipsum irrisui se exposuisse, eodem Suetonio auctore, Augusto, se Rhodum secessisse, scripsit<sup>6)</sup>, propterea quod privignorum suorum, Gaii et Lucii Caesaris, utilitati obstare noluisse. Sin res ita se habuisset, cum Augusto certe, quum commeatum peteret, hanc caussam communicasset, quum, quod is eam ob caussam commeatum denegaret, nihil esset. Accedit, quod quinque annis post, quam Romam reliquit, non minus, quam ante secessum privignis, quominus regnum occuparent, impedimento esse poterat. Praeterea eum amice atque familiariter cum privignis vixisse, Sue-

<sup>1)</sup> Zur Kritik der Geschichte des Kaisers Tiberius, mit besonderer Berücksichtigung der Lebensbeschreibung desselben von Ad. Stahr, von Prof. Dr. Eduard Pasch, Altenburg, 1866.

<sup>2)</sup> Aliis quoque locis auctor consilium maioris conscribendi operis commemorat. II, 48. 96. 103. 114. 119.

<sup>3)</sup> Pag. 18. ‚Hören wir darüber den Bericht eines unparteiischen Biographen (Sueton).‘

<sup>4)</sup> Pag. 41. ‚Aber selbst diesen Verdacht erwähnt der genaueste aller Geschichtsschreiber Tiber's, Sueton, mit keinem Worte.‘

<sup>5)</sup> Tib. cap. 10.

<sup>6)</sup> Ibid. ‚Quidam existimant, adultis iam Augusti liberis, loco et quasi possessione usurpati a se diu secundi gradus, sponte cessisse, exemplo M. Agrippae, qui, M. Marcello ad munera publica admoto, Mytilenas abierit: ne aut obstare aut obtractare praesens videretur. Quam caussam et ipse, sed postea, reddidit.‘

Ibid. Cap. 11. ‚Transacto autem tribuniciae potestatis tempore, confessus tandem, nihil aliud secessu de vitasse se, quam aemulationis cum Gaio Lucioque suspicionem.‘

tonius<sup>1)</sup> negat. Quibus rebus facile adducimur, ut illam caussam a Tiberio simulatam esse arbitremur, neque difficile est, quatenam sit vera, invenire. Primum enim uxoris Juliae odio incensus ex eius conspectu abscedere volebat, deinde vero, quum imperium in Germania ei obrogatum et ipse in Asiam missus esset, privignos suos ipsi anteponi aegre ferens, omne studium omnemque operam in eo collocabat, ut, se illis esse ingenio superiorem suaque opera careri non posse, comprobaret. Quum vero quinque annis post, quantopere res evenisset praeter expectationem, intellexisset, omnibus viribus enitebatur, ut Romam redire sibi liceret. Quare ut Augusti gratiam, qui respondisset<sup>2)</sup>, dimitteret omnem curam suorum, quos tam cupide reliquisset, recuperaret, privignorum rationibus Rhodum secedentem se prospexisse praetendit. Quam rem simulatam atque fictam esse, Augustus ipse quin viderit, dubitari non potest, quum apud Suetonium<sup>3)</sup> hoc exstet: 'Revocatus est (Tiberius), verum sub conditione, ne quam partem curamve reipublicae attingeret.' Velleio igitur, qui 'mira quadam et incredibili atque inenarrabili pietate commotum' Tiberium Rhodum secessisse dicat, minime fides est habenda, id quod etiam dilucidius cernes, si huncce locum Suetonianum<sup>4)</sup> consideraveris: 'Thrasyllum quoque mathematicum, quem ut sapientiae professorem contubernio admovent, tum maxime expertus est, affirmantem nave provisum gaudium afferri, quum quidem illum durius, et contra praedicta cadentibus rebus, ut falsum et secretorum temere conscium, eo ipso momento, dum spatium una, praecipitare in mare destinasset.' Nihil quidem caussae est, quod Suetonium a veritate deflexisse dicamus, quum Tacitus<sup>5)</sup> et Dio Cassius<sup>6)</sup> idem narrent.

Arcana igitur et secreta consilia animoolvebat Tiberius, quibus proditi verebatur, ne magnum sibi instaret periculum, ita ut manus caede cruentare, quam pati mallet, consiliorum suorum conscium quendam se habere. Ne Stahrus quidem, quin ea, quae de consilio Thrasylli in mare proliciendi memoriae prodita sunt, vere sint dicta, dubitat. Dicit<sup>7)</sup> enim: 'Das wilde Claubertblut wallte in ihm (dem Tiberius) auf, und er wählte finstere Gedanken gegen den falschen Propheten und gefährlichen Mitwisser mancher seiner geheimsten Wünsche und Hoffnungen. Ein Stoß, und er mochte sein Geheimniß in der Tiefe des Meeres begraben, dessen Brandung an dem Fuße der hohen Klippe empor schäumte.'

Sin quaeritur, quatenam fuerint consilia illa arcana, quae Tiberius animo volverit quorumque conscium Thrasyllum metuerit, minime audacius Paschium<sup>8)</sup> de ea re iudicasse arbitror, qui

1) Tib. cap. 12.

2) Tib. cap. 11.

3) Tib. cap. 12.

4) Tib. cap. 14.

5) Annal. VI. 21. 'Quotiens super tali negotio consultaret, edita domus parte ac liberti unius conscientia utebatur. Is litterarum ignarus, corpore valido, per avia ac derupta (nam saxis domus imminet) praeibat eum, cuius artem experiri Tiberius statuisset, et regredientem, si vanitatis aut fraudum suspicio incenserat, in subiectum mare praecipitabat, ne index arcani existeret. Igitur Thrasyllus isdem rupibus inductus postquam percontantem commoverat, imperium ipsi et futura solerter patefaciens, interrogatur an suam quoque genitalem horam comperisset; quem tum annum, qualem diem haberet. Ille positus siderum ac spatia dimensus, haerere primo, dein pavescere, et quantum introspiceret, magis ac magis trepidus admirationis et metus, postremo exclamat ambiguum sibi ac prope ultimum discrimen instare. Tum complexus eum Tiberius praescium periculorum et incolumem fore gratatur; quaeque dixerat, oraculi vici accipiens, inter intimos amicorum tenet.'

6) Lib. LV. cap. 11.

7) Pag. 36. 37.

8) Pag. 54.

censet, Tiberium machinatum esse, aut Augustum ipsum, aut regni heredes, Gaium, Lucium, Agrippam Postumum fratres, qui post Augustum mortuum sibi obstarent, de medio tollendo semet ipsum unum imperii heredem facere. Ad quae consilia arcana, quae imperandi cupiditate ductus Tiberius ceperat, sine dubio referendus esse videtur rumor ille, cuius mentionem facit Tacitus<sup>1)</sup>: 'Ne iis quidem annis, quibus Rhodi specie secessus exul egerit (Tiberius), aliud quam iram et simulationem et secretas libidines meditatum.'

Quamquam igitur non solum simulationem atque dissimulationem, sed etiam immodicam regnandi cupiditatem Tiberii naturae penitus insitas fuisse minimè dubiis testimoniis demonstratur, Velleius omnibus eius aut dictis aut factis optimas atque maxime laudabiles supponit rationes. Quod patet etiam ex libri

II. cap. 103: 'Quod post Lucii mortem adhuc Gaio vivo facere voluerat (Augustus), eoque vehementer repugnante Nerone erat inhibitus, post utriusque adolescentium obitum facere perseveravit, ut et tribuniciae potestatis consortionem Neroni constitueret, multum quidem eo cum domi, tum in senatu recusante, et eum Aelio Cato, C. Sentio consulibus V. Cal. Julius, post urbem conditam annis septingentis quinquaginta quattuor, abhinc annos septem et viginti, adoptaret. Laetitia illius diei concursumque civitatis et vota paene inserentium coelo manus spemque conceptam perpetuae securitatis aeternitatisque Romani imperii vix in illo iusto<sup>2)</sup> opere abunde persequi poterimus, nedum hic implere. Contenti simus id unum dixisse, quanti ille omnibus fuerit. Tum refulsit certa spes liberorum parentibus, viris matrimoniorum, dominis patrimonii, omnibus hominibus salutis, quietis, pacis, tranquillitatis, adeo ut nec plus sperari potuerit, nec spei responderi felicius.'

Plenissima igitur manu, ut Ciceronis verbis utar, Tiberii laudes Velleius in astra sustulit, neque quisquam locum illum leget, quin adulationis taedio captus sibi persuaserit, supra rem veritatemque Tiberii virtutes ab eo auctore elatas atque exornatas esse. Ut vero in iis tantummodo acquiescam, quae ad Tiberii mores pertinent, Velleius operam dedit, ut imbueret Romanorum animos opinione, Tiberium, quominus ab Augusto adoptaretur, recusasse, quod regnum repudiasset. Quodsi re vera recusavit, certe omnia ad fallendum erant composita, ne quis, quae imperandi cupiditate ductus cepisset consilia, sentiret. Quare hoc tempore non minus se esse hominem simulatorem ac dissimulatorem comprobavit, quam illo, quum Rhodum secessit et urbis desiderio captus falsas attulit causas, veras dissimulans. Neque dubitandum est, quin in describenda laetitia, qua cives post Tiberii adoptionem, quod tum spes esset concepta perpetuae securitatis aeternitatisque Romani imperii, perfusi fuissent, fides Velleio sit abroganda. Multo enim probabilius est, populum Tiberium eminentem successorem permoleste tulisse, quum Tacitus<sup>3)</sup> narret, Romanos Augusto mortuo, imminentes dominos variis rumoribus distulisse et de vetere atque insita Claudiae familiae superbia et de multis indiciis saevitiae Tiberii multum fuisse sermonem.'

II. 105. 'Pietas sua Caesarem, paene obstructis hieme Alpibus, in urbem traxit.'

Hoc quoque loco Velleii studium, omnium virtutum quacunquae ratione Tiberio affingendarum facillime cernitur. Certe enim Tiberius non pietate commotus iter illud molestum atque difficile suscepit, sed sui ipsius commodi causa, ne quam occasionem in Augusti favorem magis magisque

<sup>1)</sup> Annal. I. 4.

<sup>2)</sup> Vid. pag. 5, 2.

<sup>3)</sup> Annal. I. 4.

irrependi dimitteret. A pietate vero eius animum prorsus alienum fuisse, quis est, qui neget, quum Dione Cassio<sup>1)</sup> auctore illud *ἔμοῦ θανόντος γαῖα μυχθῆτω πύρι* (quem versum ex Euripidea quadam tragoedia, quae ad nos non pervenerit, viri docti sumptum esse volunt), saepe in ore haberet? Neque quisquam dicet, Tiberium iuvenem miti animo fuisse et supremo tantum vitae tempore saevum crudelemque se praestitisse. Non enim convenit huic iudicio, quod apud Suetonium<sup>2)</sup> exstat: Saeva ac lenta natura (Tiberii) ne in puero quidem latuit, quam Theodorus Gadaraeus, rhetoricae praeceptor, et perspexisse primus sagaciter, et assimilasse aptissime visus est, subinde in obiurgando appellans eum *πῆλὸν αἵματι περιφραμένον*.

II. 122. Quis non inter reliqua, quibus singularis moderatio Tiberii Caesaris elucet atque eminent, hoc quoque miretur, quod, quum sine ulla dubitatione septem triumphos meruerit, tribus contentus fuerit? . . . Sed in hoc viro nescias, utrum magis mireris, quod laborum periculorumque semper excessit modum, an quod honorum temperavit.

Pariter atque in cap. 105, de quo supra disseruimus, pietas Tiberii laudatur, hoc loco laudibus ornatur eius moderatio atque temperantia. Immerito autem has laudes ei tribui, manifestum est, quum, quoties triumphum ageret, constituere non Tiberii esset, sed Augusti. Arrogantiae potius atque superbiae Tacito<sup>3)</sup> auctore convinci potest Tiberius, quum in litteris ad senatum datis mentionem fecerit, tot receptorum in iuventa aut spretorum triumphorum.

II. 123. Ingravescente in dies valetudine cum sciret, quis volenti omnia post se salva remanere, arcessendus foret, festinanter revocavit filium. Ille ad patrem patriae expectato revolvit maturius. Tum securum se Augustus praedicans circumfususque amplexibus Tiberii sui, commendans illi sua atque ipsius opera, nec quicquam iam de fine, si fata poscerent, recusans, subrefectus primo conspectu alloquioque carissimi sibi spiritus, mox, cum omnem curam fata vincerent, in sua resolutus initia Pompeio Apuleioque consulibus septuagesimo sexto anno animam coelestem coelo reddidit.

Hunc locum, quamquam primo aspectu ad id, quod nobis proposuimus, spectare non videtur, tamen, si diligenter mente animoque eum perlustraveris, de moribus Tiberii disputaturo minime negligendum esse, facile intelliges. Quum enim Augusto cognoscendi atque observandi Tiberii tot per annos satis oblatum esset occasionis eumque acrem atque diligentem existimatorem fuisse negari nequeat, certe fieri non posset, quin bene atque honorifice de Tiberio sentiremus, si persuasum nobis esset, Augustum tantum Tiberii amorem ostendisse, quantus a Velleio describitur. Hunc vero hoc quoque loco a veritate deflexisse, demonstrari potest. Licet enim cum eo narrante, praesente Tiberio mortuum esse Augustum, Suetonius<sup>4)</sup> consentiat, Tacitus tamen et Dio Cassius rem aliter exponunt. Alter<sup>5)</sup> enim non satis compertum esse dicit, spirantem etiam Augustum apud urbem Nolam, an exanimem repererit, alter<sup>6)</sup> tradit, Liviam metuentem, ne, quod Tiberius

1) Lib. LVIII. cap. 23.

2) Tib. cap. 57.

3) Annal. III. 47.

4) Tib. cap. 21. „Et statim ex itinere revocatus (Tiberius), iam quidem affectum, sed tamen spirantem adhuc Augustum reperit: fuitque una per totum diem.“

5) Annal. I. 5.

6) lib. LVI. cap. 31. „Ὅ μὲντοι καὶ ἐκφανῆς εὐθὺς ὁ θάνατος αὐτοῦ ἐγένετο. ἡ γὰρ Λιονία, φοβηθεῖσα μὴ τοῦ Τιβερίου ἐν τῇ Ασκλημαίᾳ εἶ' ὄντιος νεωτερισθῆ τι, συνέκρουσεν αὐτὸν μέχρι οὗ ἐκεῖνος ἀφίκετο. ταῦτα γὰρ οὕτω τοῖς τε πλείοσι καὶ ἀξιοπιστοιτέροις γέγραπται.“

in Dalmatia versaretur, seditiones exorirentur, coniugis mortem celasse, donec Tiberius rediisset; sic a plerisque auctoribus eisdemque fide dignioribus memoriae esse proditum. Quodsi haec res pro certo nequit affirmari, coniectura tamen iudicare licet, Tiberium Augusto moribundo non affuisse. Tacitus<sup>1)</sup> enim loco, quem supra memoravi, narrare pergit: ‚Acribus namque custodiis domum et vias seperat Livia, laetique interdum nuntii vulgabantur, donec provisus, quae tempus monebat, simul excessisse Augustum et rerum potiri Neronem fama eadem tulit.‘ Nihil aliud Liviam custodiis illis acribus studuisse assequi maxime probabile est, nisi ut caveret, ne Augustum mortuum esse rumor divulgaretur, priusquam Tiberius advenisset, metuens, ne quid accideret, quod suis Tiberiique consiliis occurreret. Sieversius quidem aliter rem explicat; dicit<sup>2)</sup> enim: ‚Wenn man sieht, mit welcher Liebe er (Augustus) auf dieser Reise überall aufgenommen war, so läßt sich denken, daß in Nola der Zudrang zu dem tödtlich Erkrankten um so größer, für ihn selbst um so lästiger und nachtheiliger werden konnte. Daher war es sehr zweckmäßig, daß Livia dafür sorgte, daß solche Störungen möglichst vermieden wurden. Dieses geschah dadurch, daß die Zugänge zu der Wohnung, in welcher der Kranke lag, stark besetzt, und daß günstige Gerüchte über seinen Zustand verbreitet wurden, wobei die Livia sich vielleicht gar nicht gegen die Wahrheit verging, da doch Schwankungen in dem Befinden eingetreten sein können.‘

Non idem mihi, quod Sieversio, hac de re videtur; non enim invenio, quid compulerit Liviam, ut domum et vias sepiet acribus custodiis ad arcendos molestos interpellatores. Si hoc tantum sibi proposuisset Livia, certe pauci custodes in aditu domus positi suffecissent, neque ea necessitas fuisset illi imposita, ut laetis nuntiis, id est falsa spe, cives Nolanos produceret. Quare facile adducor, ut arbitrer, Augusti mortem diligenter celatam esse, donec Tiberius, quam celerrime certior factus, Augustum in morbum incidisse, ex Illyrico rediisset.

Hi vero, quibus Suetonii narratio, Augustum praesente Tiberio animam effluisse, praeferenda esse videtur, ceterarum rerum rationem habeant velim, quas Suetonius in eodem capite narravit. Dicit enim, aliquos tradidisse, Augustum precibus uxoris<sup>3)</sup> commotum adoptionem Tiberii non abnuisse vel etiam ambitione ductum, quo magis suae ipsius virtutes tali successore exsplenderent<sup>4)</sup>; quin etiam fama divulgatam fuisse, Augustum moribundum populum Romanum commiseratum esse, quod ‚sub tam lentis maxillis‘ esset futurus. Ceterum quid Augustus de Tiberio existimaverit, ex hoc quoque loco Suetonii<sup>5)</sup> luculentissime apparet: ‚At illa (Livia) commota veteres quosdam ad se codicillos de acerbitate et intolerantia morum eius e sacrario protulit atque recitavit. Hos et custoditos tamdiu, et exprobratos tam infeste, adeo graviter tulit, ut quidam putent, inter causas secessus hanc ei vel praecipuam fuisse.‘

Itaque si qui sunt, qui Velleium verum dixisse putent, quum narrat, Tiberium Augusto mo-

<sup>1)</sup> Vid. pag. 8, 5.

<sup>2)</sup> Program. Joann. Hamburg. 1850. pag. 10.

<sup>3)</sup> cf. Tac. Annal. IV. 57. ‚Nam dubitaverat Augustus Germanicum, sororis nepotem et cunctis laudatum, rei Romanae imponere: sed precibus uxoris evictus Tiberio Germanicum, sibi Tiberium adscivit.‘ I. 7. ‚Dabat (Tiberius) et famae, ut vocatus electusque potius a republica videretur, quam per uxorium ambitum et senili adoptione irrepisset.‘

<sup>4)</sup> cf. Dio Cass. lib. LVI. cap. 44. ‚Τοσοῦτον δ' ὄν τὸ σὺμπαν ἀλλήλων διήνεγκαν, ὥστε τινὰς καὶ εἰς τὸν Αὐγουστῶνα ὑποπιεῦσαι, οἳ ἐξεπίτηδες τὸν Τιβερίον, καίπερ εὖ εἰδὼς ὅποιος ἦν, διαδοχὸν ἀπέδειξεν, ἵνα αὐτὸς εὐδοξήσῃ.‘ Tac. Annal. I. 10. Ne Tiberium quidem caritate aut reipublicae cura successorem adscitum; sed quoniam arrogantiam saevitiamque eius introsperit, comparatione deterrima sibi gloriam quaesivisse.

<sup>5)</sup> Tib. cap. 51.

ribundo affuisse, certe tamen ei, quum laetitiam describit, qua Augustus perfusus fuerit alloquio Tiberii, ‚carissimi sibi spiritus,‘ fides est abroganda. Id enim tantum eum egisse manifestum est, ut Romanis persuaderet, Tiberium ab Augusto tanti esse aestimatum propter mores atque virtutes, ut, quem summo prosequeretur amore, dignissimum eum iudicaret.

II. 124. ‚Una veluti luctatio civitatis fuit pugnantis cum Caesare, senatus populiq̄ue Romani, ut stationi paternae succederet, illius, ut potius aequalem civem, quam eminentem liceret agere principem. Tandem magis ratione, quam honore victus est, cum quicquid tuendum non suscepisset, perituum videret. Solique huic contigit, paene diutius recusare principatum, quam, ut occuparent eum, alii armis pugnauerant.‘

Quamquam Tiberius simulationis artificio tam erat eruditus, ut semper veram occultaret animi sententiam, Velleius tamen ita rem exposuit, ac si re vera regnum occupare dubitasset. Neque ignoratione factum est, ut simulata illa verba pro veris sumeret, quum tanta familiaritate Tiberii totiusque domus imperatoriae uteretur et in tam alto dignitatis gradu esset constitutus, ut, quin simulationem Tiberii perspiceret, fieri non posset. Aliud vero Tiberium cogitasse, aliud locutum esse, quum supra, quo loco de secessu in Rhodum disseruimus, memoratum est, quum firmissimum hoc afferri videtur argumentum, quod, quum imperium se aspernari simularet, Tacito<sup>1)</sup> auctore et imperavit, ut milites ipsum in forum atque in curiam comitarentur, et ad exercitus, quos, se principatum adeptum esse, certiores faceret, misit litteras. Eiusdem<sup>2)</sup> atque Dionis Cassii<sup>3)</sup> testimonio illud quoque constat, Asinium Gallum, quum Tiberium, qui se toti reipublicae sustinendae parem non esse dixerat, interrogasset, quamnam reipublicae partem sibi mandari vellet, eius odium in se convertisse. Etsi Gallus, qui ‚vultu offensionem coniectaverat,‘ operam dedit, ut, Augusti Tiberiiq̄ue laudibus additis, huius iram mitigaret, quum diceret, idcirco se illud interrogasse, ut ipse confiteretur reipublicae corpus dividi non posse atque ab uno esse regendum, Tiberii odium etiam usque eo processit, ut nulla Galli offendendi dimissa occasione postremo capitis eum damnaret<sup>4)</sup>. Cum duobus illis, quos modo commemoravi, auctoribus etiam is consentit, cui Stabrius<sup>5)</sup> fidem videtur tribuere, Suetonium dico. Is<sup>6)</sup> enim ‚principatum,‘ inquit, ‚quamvis neque occupare confestim, neque agere dubitasset (Tiberius), et statione militum, hoc est, vi et specie dominationis assumpta diu tamen recusavit impudentissimo mimo.‘

Quin etiam ab eodem Suetonio<sup>7)</sup> narratum est, Tiberium regnum recusantem valetudinem simulasse, quo maior Germanico, quem legiones, quibus praeerat, ad capessendam rempublicam perurgebant, iniiceretur spes fore ut brevi tempore aut succederet, aut principatus societas sibi daretur. Cui causae recusationis, quominus rempublicam administrandam in se reciperet, Tacitus<sup>8)</sup> eam adiungit, maluisse Tiberium, se vocatum electumque potius a republica videri, quam per Liviae matris ambitum et per Augusti senis adoptionem regnum se esse adeptum. Eo minus

1) Annal. I. 7. . . . . nusquam cunctabundus, nisi cum in senatu loqueretur.

2) Annal. I. 12.

3) lib. LVII. cap. 2.

4) Dio Cass. lib. LVII. cap. 2.

5) pag. 56 . . . . . eine Ansicht, die der ehrliche Sueton so gründlich widerlegt! pag. 67. Ich will hier zunächst den ehrlichen Sueton sprechen lassen! cf. pag. 5, 3, 4.

6) Tib. cap. 24.

7) Tib. cap. 25.

8) Annal. I. 7.



vero puto esse, cur, quin res ita, ut a Tacito atque Suetonio narratur, se habeat, dubitemus, quod et Dio Cassius<sup>1)</sup> idem narrat, et multis aliis exemplis minime dubiis comprobatur, iis, quae Tiberius locutus sit, nullam auctoritatem esse habendam<sup>2)</sup>. Ex quibus hoc commemorare placet, quod a Tacito<sup>3)</sup> narratur. Druso enim, Tiberii filio, mortuo, multus erat Tiberius in misericordia impertienda Germanici filiis, Neroni atque Druso, quod patre praematura morte essent orbat, senatoresque oravit, ut, Druso filio amisso, quem, ne secus quam suum sanguinem post Germanicum patrem mortuum illos foveret, precatus esset, patris loco illis essent. Quamvis igitur sibi conscius esset, per suum atque Liviae flagitium (id quod infra demonstrabimus) eos orbos factos seque infestissimum esse matri eorum Agrippinae, simulavit tamen, singulari amore eos a se amari neque quidquam se habere antiquius, quam ut eorum saluti consuleret. Ipsi vero adolescentuli, quum, quo Tiberius in ipsos esset animo, non ignorarent, eum extimescentes vix per consules comiter atque benevole eos cohortantes eo adduci poterant, ut in curiam ingrederentur<sup>4)</sup>.

Dilucide igitur ex iis, quae hac de re exposuimus, apparet, Tiberium per simulationem tantum regnum recusasse, neque ullam narrationi Velleii habendam esse fidem. Quare quomodo fieri potuerit, ut Stahrius<sup>5)</sup> scriberet: ‚Er (Vellej. Patercul.) schrieb, wie er dachte und empfand, und er ist als der Ausdruck des Urtheils und der Ansicht einer überaus großen Anzahl von Zeitgenossen Tiber's zu betrachten,‘ equidem non intelligo, namque ne unum quidem exstare constat testimonium, quo innisus illam possit defendere sententiam.

Itaque Velleius, quum in aliorum moribus notandis atque reprehendendis saepe tam multus sit, Tiberii virtutes tantum easque fictas proponit, vitia vero eius et prave ac flagitiose ab eo facta plane celat oculisque subtrahit. Sic de Agrippae Postumi nece hoc tantum dicit:

II. 112. ‚Hoc fere tempore Agrippa, qui eodem die quo Tiberius adoptatus ab avo suo naturali erat, et iam biennium, qualis esset, apparere coeperat, mira pravitate animi atque ingenii in praecipitia conversus patris atque eiusdem avi sui animum alienavit sibi, moxque crescentibus in dies vitiiis dignum furore suo habuit exitum.‘

Agrippam Postumum, nepotem Augusti, privignum Tiberii, Gaiio Lucioque fratribus mortuis, eodem die (quarto post Chr. nat. anno), quo Tiberium, ab Augusto adoptatum esse, satis quidem constat. Quare quum Tiberio regnum affectanti obstaret, subdolis artibus Livia persuasit coniugi, ut in Planasiam insulam eiiceret nepotem. Qui quamvis feris esset moribus bonarumque artium

<sup>1)</sup> Lib. LVII. cap. 3.

<sup>2)</sup> Ipse Stahrius de Tiberii simulationibus dicit pag. 219: ‚Zunächst begann er (Tiberius) damit, in seinen schriftlichen Erlassen an den Sejan selbst und an den Senat die Ansichten beider zu verwirren und irre zu führen. Bald schrieb er, daß es mit seiner Gesundheit schlecht bestellt sei, und daß er sein nahes Ende erwarte, bald wieder, daß er sich kräftiger als jemals fühle und bald nach Rom zurückzukommen gedenke. Sejan selbst ward in diesen Zuschriften bald mit Lobeserhebungen überschüttet, bald streng getadelt, die Freunde desselben bald ausgezeichnet und befördert, bald zurückgesetzt und beungnadet, so daß Sejan selbst beständig im Schwanken erhalten ward. Dio Cass. lib. LVII. cap. 1. ‚Τό, τε σύμπαν, οὐκ ἤξιον τὸν ἀνταρχοῦντι κατὰθλον ὢν φρονεῖ εἶναι.‘ cf. Dio. Cass. lib. LVII. 2. 6. LVIII. 6. Sueton. Tib. 12. 23. 24. 42. 56. Tac. Annal. IV. 71: Nullam aequae Tiberius, ut rebatur, ex virtutibus suis, quam dissimulationem diligebat.

<sup>3)</sup> Annal. IV. 8.

<sup>4)</sup> Ibid. ‚Egressi consules firmatos adloquio adolescentulos deductosque ante Caesarem statuunt.‘

<sup>5)</sup> pag. 115.

rudis atque ignarus, nullius tamen, ut Tacitus<sup>1)</sup> testatur, compertus erat flagitii. Augustus autem paucis mensibus ante, quam moreretur, quum, quod nepotem proiecisset, eum poeniteret, eius visendi causa Planasiam se contulit<sup>2)</sup> misericordemque, amoris voluntatisque datis signis, se praeiuit, ita ut rumore divulgaretur, spem esse, fore ut avus cum nepote in gratiam rediret. Immo Livia in suspicionem cecidisse a Dione Cassio<sup>3)</sup> narratur, veneno Augustum periisse dato ab ipsa metuente, ne Agrippa eiectus in sua iura restitueretur. Nihilo minus Stahrius<sup>4)</sup> contendit, Augusti iussu occisum esse miserum illum Agrippam, quae sententia ne unius quidem rerum scriptoris testimonio comprobatur. Suetonius<sup>5)</sup> enim, cuius solius Stahrius utitur auctoritate, dicit: „Quos codicillos, dubium fuit, Augustusne moriens reliquisset, quo materiam tumultus post se subduceret, an nomine Augusti Livia et ea, conscio Tiberio an ignaro, dictasset.“ Quamquam igitur dicit Suetonius, dubium fuisse, Augustusne interfici Agrippam iussisset, an Augusti nomine Livia codicillos illos dictasset, ex iis tamen, quae in eodem capite sequuntur, colligendum esse arbitror, ab eo flagitiosi illius facinoris auctorem non haberi Augustum. Pergens enim narrare, Tiberium tribuno renuntianti, factum esse, quod imperasset, neque imperasse se et redditurum eum senatui rationem respondisse, addit: „invidiam scilicet in praesentia vitans. Nam mox silentio rem obliteravit.“ Equidem vero nescio, quomodo mente possit comprehendere, oblivione obruisse Tiberium privigni sui caedem, nisi ipse eam patrari iussisset. Ac profecto tribunus ille se non obtulisset Tiberio percussorem ejus privigni, nisi eum flagitii auctorem esse certo scivisset. Praeterea Tacitus et Dio Cassius rem ita narrant, ut demoveatur omnis culpa ab Augusto. Ille<sup>6)</sup> enim crimen in Tiberium atque Liviam, hic<sup>7)</sup> in solum Tiberium derivat.

Omnis vero tolletur dubitatio, si reputaverimus, Augustum in nullum suorum unquam tam crudeliter consuluisse, ut morte eum affici iuberet<sup>8)</sup>, Tiberium contra et uxorem suam Juliam eodem fere tempore, quo Agrippae caedes perpetraretur, inopia atque fame peremisse<sup>9)</sup>, et in omni genere flagitiorum esse volutatum. Itaque ridicale Stahrius, Agrippam ante Augusti mortem occisum esse, Velleii verbis probat. Cui si id exploratum fuisset, sine dubio plane atque aperte id scripsisset neque voce illa „mox“ usus esset, praesertim quum non ignoraret, quantopere eniteretur Tiberius, ut suspicionem, suo iussu Agrippam occisum esse, a se amoveret<sup>10)</sup>.

<sup>1)</sup> Annal. I. 3.

<sup>2)</sup> Tac. Annal. I. 5. Plin. Hist. natur. VII. 45.

<sup>3)</sup> Lib. LVI. cap. 30.

<sup>4)</sup> pag. 87, „Ueberaus zahlreich sind die Beispiele in Tacitus' Darstellung, wo eine entschieden gehässige Färbung vorwaltet. Es genüge einige derselben hier aufzuzählen. Gleich im Anfange der Annalen nennt er die Hinrichtung des Agrippa Postumus „die erste That des neuen Regiments“ und setzt sie unbedenklich dem Tiberius auf Rechnung. Und doch ersehen wir aus Sueton, daß der sterbende Augustus selbst den Befehl zu dieser Hinrichtung gegeben hatte, um der Möglichkeit von Unruhen nach seinem Tode vorzubeugen, und Vellejus deutet an, daß dieselbe noch vor dem Tode des alten Kaisers erfolgt sei. pag. 324: „Agrippa Postumus, ein verwildeter Bube, verbannt von Augustus 760 nach der Insel Planasia, daselbst 767 auf Augustus' leihwilligen Befehl hingerichtet.“

<sup>5)</sup> Tib. 22.

<sup>6)</sup> Annal. I. 6.

<sup>7)</sup> LVII. 3.: „Τὸν μὲν γὰρ Ἀγρίππαν παραχρῆμα, ἀπὸ τῆς Νόλης πέμψας τινὰ, ἀπέκτεινε (Τιβέριος).“  
LVII. 4.: „Τοῦτον (τὸν Ἀγρίππαν) μὲν οὖν αὐτίκα ὑπέξεϊλετο (Τιβέριος).“

<sup>8)</sup> Tac. Annal. I. 6.

<sup>9)</sup> Annal. I. 53.

<sup>10)</sup> cf. Pasch. pag. 55—58.

Sed non solum celat Velleius nefaria a Tiberio admissa scelera, verum etiam crimina in melius atque in virtutem trahit, id quod patet ex libri

II. cap. 130: „Quanto cum honore Germanicum suum in transmarinas misit (Tiberius) provincias?“

Germanicum a Tiberio iubente Augusto adoptatum, quum aetate provecior esset, quam Drusus, Tiberii filius, optimo iure imperii successorem atque heredem post Tiberium mortuum evasurum constabat. Is vero, quum exorta seditione legiones illae octo, quibus in Germania praecerat, ut clavum imperii teneret et gubernacula civitatis tractaret, ei persuadere studeret<sup>1)</sup>, facillime iam post Augusti mortem regnum occupare poterat. Quamquam autem tanta erga Tiberium erat fide, ut mortem sibi consciscere, quam in officio non manere mallet, ac vi tantum ipsorum militum, quominus gladium sibi in pectus infigeret, retineri poterat<sup>2)</sup>, Tiberius tamen ei diffusus tanquam regni aemulo, quo magis militum erga eum Agrippinamque crescere amorem, quoque felicius rem in Germania videbat geri, eo maioribus angebatur curis atque sollicitudinibus. Quare consilio capto impediendi, quominus damnum ipsi afferre posset Germanicus, ex Germania eum revocavit<sup>3)</sup> neque, ut proxima tantum aestate (a. XVII. post Chr. nat.) eisdem legionibus ad bellum confiendum praeesse sibi liceret, vehementer roganti obsecutus est. Id quidem scriptum erat in epistola, si quid postea quoque in Germania posset gloriae acquiri, permitteret id Druso fratri, cui alia in claritudinem perveniendi non esset data occasio<sup>4)</sup>. Decessit igitur Germania Germanicus, non ignorans, quo Tiberius in ipsum esset animo<sup>5)</sup>. Postquam vero, tanquam bello confecto, triumphum egit de Cheruscis, de Chattis, de Angrivariis, de aliis nationibus usque ad Albim incolentibus, in Asiam profectus magnas in difficultates incurrit. Demoto enim Syria Cretico Silano, qui cum Germanico affinitate coniunctus illique provinciae praepositus erat usque ad id ipsum tempus, quo in Asiam proficiscebatur Germanicus, Cneium Pisonem Tiberius praefecerat Syriae, quem inimicissimum atque infestissimum illi futurum esse non ignorabat. Atque re vera tantam ille sumebat arrogantiam animoque tam obstinato in Germanicum erat, ut imperio eius parere nollet et res sapientissime atque optime ab illo constitutas non solum vituperaret, sed etiam rescinderet atque tolleret. Ad eam vero superbiam contumaciamque Piso, quamvis esset natura atque ingenio insolens, certe non processisset, nisi, fore ut, quaecunque contra Germanicum esset facturus, a Tiberio comprobarentur, persuasum ei fuisset. Quam sententiam eo minus dicere dubito, quod apud Tacitum<sup>6)</sup> exstat: „Nec dubium habebat (Piso) se delectum, qui Syriae imponeretur, ad spes Germanici coercendas. Credidere quidam data et a Tiberio occulta mandata; et Plancinam haud dubie Augusta monuit aemulatione muliebri Agrippinam insectandi.“ Germanicus igitur, qui Epidaphnae, quod suburbium erat Antiochense, versabatur, dolore ex tot tantisque Pisonis offensionibus suscepto cruciatus, repentino atque gravi affectus est morbo. Piso

1) Tac. Annal. I. 35.

2) Tac. ibid.

3) Tac. Annal. II. 5: „Ceterum Tiberio haud ingratum accidit turbari res Orientis, ut ea specie Germanicum suetis legionibus abstraheret novisque provinciis impositum dolo simul et casibus obiectaret.“

4) Tac. Annal. II. 25: „Simul adnectebat, si foret adhuc bellandum, relinqueret materiem Drusi fratris gloriae, qui nullo tum alio hoste non nisi apud Germanias assequi nomen imperatorium et deportare lauream posset.“

5) Ibid. „Haud cunctatus est ultra Germanicus, quamquam fingi ea seque per invidiam parto iam decori abstrahi intelligeret.“

6) Annal. II. 43. cf. c. h. I. Annal. III. 16.

vero, civibus Antiochensibus, qui, rumore dilato, Germanicum e morbo esse recreatum, sacra facturi essent, per lictores proturbatis, Seleuciam se contulit. Quo facto Germanicus, qui rursus in morbum inciderat, quum, quin venenum sibi a Pisone paratum esset, non dubitaret<sup>1)</sup>, provincia decedere illum iussit<sup>2)</sup>. Qui cum Romam discessurus esset, tanta fuit in itinere faciendae tarditate, ut suspenso animo mortem Germanici expectare videretur. Brevi vero tempore quum apud Com insulam, Germanicum morbo absumptum esse, nuntium accepisset, incredibili gaudio elatus<sup>3)</sup> in Syriam revertit, ut eam provinciam, cui per legatos Germanici Cn. Sentius ad tempus erat praepositus, per vim recuperaret. Hac tamen spe deiectus atque in summas adductus angustias a Cn. Sentio nihil nisi ut „naves et tutum in urbem iter“ sibi concederentur, impetravit.

Ne Stahrius quidem dubitat, quin mors Germanico illata sit a Pisone eiusque uxore Plancina, eisque Liviam, ut illum ad exitium vocarent, persuasisse, Tiberium vero omni culpa liberandum esse dicit. At vero, si animo ab omni partium studio alieno omnia diligenter ponderaveris, sane multa invenies, quibus, ut a Tiberio culpam demovendam esse negemus, impellamur. Is enim primum, praeterquam quod Germanicum ex Germania revocatum in Asiam miserat Syriaeque provinciae, demoto Silano, Pisonem Germanico infestissimum praeposuerat, quum de interfectore haberetur quaestio, talem se praebuit, ut, quamvis magna uteretur versutia, tamen eum praesidio illi esse appareret<sup>4)</sup>; deinde Piso mortem sibi ipse conscivit, Plancinae autem, cui ipse Stahrius maiorem, quam coniugi attribuendam Germanici mortis esse culpam dicit, secretis Liviae precibus venia data est a Tiberio; tum exstant fidorum atque bonorum scriptorum loci, quibus probatur, Tiberium atque Liviam Germanici morte magnopere laetatos eius „culpae non fuisse expertes<sup>5)</sup>“; denique Tiberius tanta crudelitate postea in Agrippinam eiusque liberos usus est, ut dubium non esse possit, quin fortissimus ille iuvenis non solum Pisonis et Plancinae et Liviae, sed etiam ipsius Tiberii flagitiosis artibus interceptus sit<sup>6)</sup>.

Satis igitur demonstrasse mihi videor, Velleio in eis, quae de Tiberii moribus memoriae prodidit, ne minimam quidem fidem esse habendam. Hinc sequitur, ut, qui diligentius atque accuratius in Tiberii mores inquirere velit, ad Tacitum, Suetonium, Dionem Cassium se convertat, ut auctores, qui satis fidi existimandi sint atque res ab illo principe gestas eiusque indolem ac naturam ad historiae fidem retulerint.

<sup>1)</sup> Tac. Annal. II, 69: „saevam vim morbi augebat persuasio veneni a Pisone accepti.“

<sup>2)</sup> Tac. Annal. II, 70. cf. II, 76: „et ademptione provinciae satisfactum inimicis.“ II, 78: „seque pulsum, ut locus rebus novis patefieret, curam exercitus eadem fide, qua tenuerit, repetivisse.“

<sup>3)</sup> Tac. Annal. II, 75.

<sup>4)</sup> Tac. Annal. III, 12: „an falsa haec in manus vulgaverint accusatores; quorum ego nimis studiis iure succenseo.“ Ibid. „sed neque reum prohibeo, quominus cuncta proferat, quibus innocentia eius sublevari aut, si qua fuit iniquitas Germanici, coargui possit.“

<sup>5)</sup> Tac. Annal. III, 2. „gnaris omnibus, laetam Tiberio Germanici mortem male dissimulari.“ Dio Cass. LVII, 18: „Τοῦ δὲ δὴ Γερμανικοῦ τελευτήσαντος, ὁ μὲν Τιβερίος καὶ ἡ Λιουία πάνυ ἠσθῆσαν, οἱ δὲ δὴ ἄλλοι πάντες δεινῶς ἐλυπήθησαν.“ Suet. Tib. 52: „Per noctes celeberrime acclamatum est: Redde Germanicum. Quam suspicionem confirmavit ipse postea, coniuge etiam ac liberis Germanici crudelem in modum afflictis.“

<sup>6)</sup> cf. Suet. Tib. 52.